

PSEUDO-CALPURNIUS

LAUS PISONIS (261 vers)

v.1 Unde prius coepti surgat mihi carminis ordo
 2 quosve canam titulos, dubius feror. Hinc tua, Piso,
 3 nobilitas veterisque citant sublimia Calpi
 4 nomina, Romanas inter fulgentia gentes ;
 5 hinc tua me virtus rapit et miranda per omnes
 6 vita modos ; quae, si deesset tibi forte creato
 7 nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.
 8 Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
 9 atria, quid pleni numeroso consule fasti
 10 profuerint, cui vita labat ? Perit omnis in illo
 11 nobilitas, cujus laus est in origine sola.
 12 Felix, qui claris animum natalibus aequas,
 13 et partem tituli, non summam, ponis in illis !
 14 Ipse canendus eris : nam quid memorare necesse est
 15 ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat
 16 claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
 17 umida callosa cum pinseret hordea dextra ?
 18 Nec, si cuncta velim breviter decurrere, possim !
 19 Et prius aetheriae moles circumvaga flammae
 20 annua bis senis revocabit mensibus astra,
 21 quam mihi priscorum titulos operosaque bella
 22 contigerit memorare ; manus sed bellica patrum
 23 armorumque labor veteres decuere Quirites,
 24 atque illos cecinere sui per carmina vates.
 25 Nos quoque pacata Pisonem laude nitentem
 26 exaequamus avis. Tamen, et si bella quierunt
 27 non perit virtus : licet exercere togatae
 28 munia militiae, licet et sine sanguinis haustu
 29 mitia legitimo sub iudice bella movere.
 30 Hinc quoque servati contingit gloria civis,
 31 altaque victrices intexunt limina palmae.
 32 Quin age majorum, juvenis facunde, tuorum
 33 scande super titulos et avitae laudis honores
 34 armorumque decus praecede forensibus actis.
 35 Sic etiam, magno jam tunc Cicerone vigente,
 36 laurea facundis, cesserunt arma togatis.
 37 Sed quae Pisonum claros visura triumphos
 38 olim turba vias impleverat agmine denso,
 39 ardua nunc eadem stipat fora, cum tua maestos
 40 defensura reos vocem facundia mittit.
 41 Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum
 42 et firmare jubet centeno iudice causas,
 43 seu capitale nefas operosa diluis arte,
 44 laudibus ipsa tuis resonant fora duraque, Piso,
 45 iudicis affectum possessaque pectora ducis
 46 victor. Sponte sua sequitur quocumque vocasti :
 47 flet, si flere jubes, gaudet, gaudere coactus,
 48 et te dante capit iudex, quam non habet, iram.
 49 Sic auriga solet ferventia Thessalus ora
 50 mobilibus frenis in aperto flectere campo,

51 qui modo non solum rapido permittit habenas
 52 quadrupedi, sed calce citat, modo succutit arte
 53 flexibiles rictus et nunc cervice rotata
 54 incipit effusos in gyrum carpere cursus.
 55 Quis non attonitus iudex tua respicit ora ?
 56 Quis regit ipse suam, nisi per tua pondera, mentem ?
 57 Nam tu, sive libet pariter cum grandine nimbos
 58 densaque vibrata jaculari fulmina lingua,
 59 seu juvat astrictas in nodum cogere voces
 60 et dare subtili vivacia verba catenae,
 61 vim Laertiadae, brevitatem vincis Atridae ;
 62 dulcia seu mavis liquidoque fluentia cursu
 63 verba nec incluso sed aperto pingere flore,
 64 inclita Nestorei cedit tibi gratia mellis.
 65 Nec te, Piso, tamen populo sub iudice sola
 66 mirantur fora ; sed numerosa laude senatus
 67 excipit et meritas reddit tibi curia voces.
 68 Quis digne referat, qualis tibi luce sub illa
 69 gloria contigerit, qua tu reticente senatu,
 70 cum tua bis senos numeraret purpura fasces,
 71 Caesareum grato cecinisti pectore numen ?
 72 Quod si jam validae mihi robur mentis inesset
 73 et solidus primos impleret spiritus annos,
 74 auderem voces per carmina nostra referre,
 75 Piso, tuas ; sed fessa labat mihi pondere cervix
 76 et tremefacta cadunt succiso poplite membra.
 77 Sic nec olorinos audet Pandionis ales
 78 parva referre sonos nec, si velit improba, possit ;
 79 sic et aedonia superantur voce cicadae,
 80 stridula cum rapido faciunt convicia soli.
 81 Quare age, Calliope, posita gravitate forensi,
 82 limina Pisonis mecum pete : plura supersunt,
 83 quae laudare velis inventa penetibus ipsis.
 84 Huc etiam tota concurrit ab Urbe juvenus
 85 auditura virum, si quando iudice fesso
 86 turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus.
 87 Tunc etenim levibus veluti proludit in armis,
 88 compositisque suas exercet litibus artes.
 89 Quin etiam facilis Romano profluit ore
 90 Graecia, Cecropiaeque sonat gravis aemulus urbi.
 91 Testis, Acidalia quae condidit alite muros,
 92 Euboicam referens facunda Neapolis arcem.
 93 Qualis, io superi, qualis nitor oris amoenis
 94 vocibus ! Hinc solido fulgore micantia verba
 95 implevere locos, hinc exornata figuris
 96 advolat excusso velox sententia torno.
 97 Magna quidem virtus erat, etsi sola fuisset,
 98 eloquio sanctum modo permulcere senatum,
 99 exonerare pios modo, nunc onerare nocentes ;
 100 sed super ista movet plenus gravitate serena
 101 vultus et insigni praestringit imagine visus.
 102 Talis inest habitus, qualem nec dicere maestum
 103 nec fluidum, laeta sed tetricitate decorum
 104 possumus : ingenitae stat nobilitatis in illo
 105 pulcher honos et digna suis natalibus ora.
 106 Additur huc et justa fides et plena pudoris
 107 libertas animusque mala ferrugine purus,
 108 ipsaque possesso mens est opulentior auro.

109 Quis tua cultorum, juvenis facunde, tuorum
110 limina pauper adit, quem non animosa beatum
111 excipit et subito juvat indulgentia censu ?
112 Quodque magis dono fuerit pretiosius omni,
113 diligis ex aequo, nec te fortuna colentum
114 natalesve movent : probitas spectatur in illis.
115 Nulla superborum patiuntur dicta jocorum,
116 nullius subitos affert injuria risus :
117 unus amicitiae summos tenor ambit et imos.
118 Rara domus tenuem non aspernatur amicum
119 raraque non humilem calcat fastosa clientem.
120 Illi casta licet domus et sine crimine constet
121 vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.
122 Nullus jam lateri comitem circumdare quaerit,
123 quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces ;
124 nec quisquam vero pretium largitur amico,
125 quem regat ex aequo vicibusque regatur ab illo,
126 sed miserum parva stipe munerat, ut pudibundos
127 exercere sales inter convivia possit.
128 Ista procul labes, procul haec fortuna refugit,
129 Piso, tuam, venerande, domum. Tu mitis et acri
130 asperitate carens positoque per omnia fastu
131 inter ut aequales unus numeraris amicos,
132 obsequium vitas et amorem quaeris amando.
133 Cuncta domus varia cultorum personat arte,
134 cuncta movet studium ; nec enim tibi dura clientum
135 turba rudisve placet, misero quae freta labore
136 nil nisi summoto novit praecedere vulgo.
137 Sed virtus numerosa juvat : tu pronus in omne
138 pectora ducis opus, seu te graviora vocarunt,
139 seu leviora juvant. Nec enim facundia semper
140 adducta cum fronte placet, nec semper in armis
141 bellica turba manet, nec tota classicus horror
142 nocte dieque gemit, nec semper Gnosius arcu
143 destinat, exempto sed laxat cornua ferro,
144 et galea miles caput et latus ense resolvit.
145 Ipsa vices natura subit variataque cursus
146 ordinat, inversis et frondibus explicat annum.
147 Non semper fluidis adopertus nubibus aether
148 aurea terrificis obcaecat sidera nimbis.
149 Cessat hiems, madidos et siccat vere capillos ;
150 ver fugit aestates ; aestatum terga lacessit
151 pomifer autumnus, nimbis cessurus et undis.
152 Ignea quin etiam superum pater arma recondit
153 et Ganymedeae repetens convivia mensae
154 pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.
155 Temporibus servire decet : qui tempora certis
156 ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt,
157 miles erit, si pax, positus toga vestiet armis.
158 Hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt.
159 Felix illa dies totumque canenda per orbem,
160 quae tibi, vitales cum primum traderet auras,
161 contulit innumeras intra tua pectora dotes.
162 Mira subest gravitas inter fora, mirus, omissa
163 paulisper gravitate, lepos. Si carmina forte
164 nectere ludenti juvit fluitantia versu,
165 Aonium facilis deducit pagina carmen ;
166 sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas,

167 dulcis Apollinea sequitur testudine cantus
168 et te credibile est Phoebos didicisse magistro.
169 Nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena
170 publica securis exsultent otia terris,
171 nec pudeat, Phoebea chelys si creditur illis
172 pulsari manibus, quibus et contenditur arcus ;
173 ipse fidem movisse ferox narratur Achilles,
174 quamvis mille rates Priameius ureret heros
175 et gravis obstreperet modulatis bucina nervis :
176 illo dulce melos Nereius extudit heros
177 pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem.
178 Arma tuis etiam si forte rotare lacertis
179 inque gradum clausis libuit consistere membris
180 et vitare simul, simul et captare petentem,
181 mobilitate pedum celeres super orbibus orbes
182 plectis et obliquis fugientem cursibus urges ;
183 et nunc vivaci scrutaris pectora dextra,
184 nunc latus adversum necopino percutis ictu.
185 Nec tibi mobilitas minor est, si forte volentem
186 aut geminare pilam juvat aut revocare cadentem
187 et non sperato fugientem reddere gestu.
188 Haeret in haec populus spectacula, totaque lusus
189 turba repente suos jam sudabunda relinquit.
190 Te si forte juvat studiorum pondere fessum
191 non languere tamen lususque movere per artem,
192 callidior modo tabula variatur aperta
193 calculus et vitreo peraguntur milite bella,
194 ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos.
195 Sed tibi quis non terga dedit ? Quis te duce cessit
196 calculus ? Aut quis non periturus perdidit hostem ?
197 Mille modis acies tua dimicat : ille petentem
198 dum fugit, ipse rapit ; longo venit ille recessu,
199 qui stetit in speculis ; hic se committere rixae
200 audet et in praedam venientem decipit hostem ;
201 ancipites subit ille moras similisque ligato
202 obligat ipse duos ; hic ad majora movetur,
203 ut citus ecfrecta prorumpat in agmina mandra
204 clausaque dejecto populetur moenia vallo.
205 Interea sectis quamvis acerrima surgant
206 proelia militibus, plena tamen ipse phalange
207 aut etiam paucis spoliata milite vincis,
208 et tibi captiva resonat manus utraque turba.
209 Sed prius emenso Titan versetur Olympo
210 quam mea tot laudes decurrere carmina possint.
211 Felix et longa juvenis dignissime vita
212 eximiumque tuae gentis decus, accipe nostri
213 certus et hoc veri complectere pignus amoris :
214 quod si digna tua minus est mea pagina laude,
215 at voluisse sat est ; animum, non carmina jacto.
216 Tu modo laetus ades : forsitan majora canemus.
217 Et vires dabit ipse favor, dabit ipsa feracem
218 spes animum ; dignare tuos aperire Penates,
219 hoc solum petimus. Nec enim me divitis auri
220 imperiosa fames et habendi saeva libido
221 impulerint, sed laudis amor. Juvat, optime, tecum
222 degere cumque tuis virtutibus omne per aevum
223 carminibus certare meis. Sublimior ibo,
224 si famae mihi pandis iter, si detrahis umbram.

225 Abdita quid prodest generosi vena metalli,
226 si cultore caret ? Quid inertī condita portu,
227 si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
228 armamenta gerat teretique fluentia malo
229 possit et excusso demittere vela rudenti ?
230 Ipse per Ausonias Aeneia carmina gentes
231 qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum
232 Maeoniumque senem Romano provocat ore,
233 forsitan illius nemoris latuisset in umbra
234 quod canit, et sterili tantum cantasset avena
235 ignotus populis, si Maecenate careret,
236 qui tamen haud uni patefecit limina vati
237 nec sua Vergilio permisit numina soli :
238 Maecenas tragico quatientem pulpita gestu
239 evexit Varium, Maecenas alta tonantis
240 eruit et populis ostendit nomina Graiis.
241 Carmina Romanis etiam resonantia chordis,
242 Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.
243 O decus, in totum merito venerabilis aevum,
244 Pierii tutela chori, quo praeside tuti
245 non umquam vates inopi timuere senectae.
246 Quod si quis nostris precibus locus, et mea vota
247 si mentem subiere tuam, memorabilis olim
248 tu mihi Maecenas tereti cantabere versu.
249 Possumus aeternae nomen committere famae,
250 si tamen hoc ulli de se promittere fas est
251 et deus ultor abest. Superest animosa voluntas
252 ipsaque nescio quid mens excellentius audet.
253 Tu nanti protende manum, tu, Piso, latentem
254 exere. Nos humilis domus et sincera, parentum
255 sed tenuis fortuna sua caligine celat.
256 Possumus impositis caput exonerare tenebris
257 et lucem spectare novam, si quid modo laetus
258 annuis et nostris subscribis, candide, votis.
259 Est mihi, crede, meis animus constantior annis,
260 quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
261 coeperit et nondum vicesima venerit aestas.